



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Querela Lazari, ad omnes Reipub. gubernatores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

QUERELA LAZARI, PRONUN-
ciata à quodam Scholastico
Vitebergæ.



Ergrata nobis hæc dicendi
consuetudo esse debet, non
tantum eò, quòd Latine lin-
guæ exercitium conseruat,
propter quod præcipuè in-
stituta est, sed etiã quia no-
bis quidem adolescentibus,

Scholarum uelut
Curia & Syno-
di.

hic locus imago quædam est Curia, aut Synodi.
Hic enim de Republica, de imperijs, de Ecclesia,
multa monemus auditores: Sæpe querelas nostras
exponimus, sæpe sententias dicimus, perinde ac si
in Senatu, aut in consessu Synodi oratio habere-
tur. Ac magnam gratiã Academicæ debemus, quæ
etiã si petulantiam, ac maledicentiam lege pro-
hibuit, tamen honestam & piam dicendi liberta-
tem nobis concedit, fortasse maiorem, quam habe-
ret Synodus ulla Pontificum. Vt Poëta finxe-
runt Astream fugientem ex urbibus, paulisper ad
huc in rure commoratum & concionatam esse a-
gricolis: ita pulsa ueritas ex pontificum collegijs
et concilijs, nobiscum adhuc Dei beneficio Philo-
sophatur. Ex his scholasticis coctibus eius oracu-
la ad aliquas Ecclesias perferuntur. Sed cùm hic
sæpe

Superior Acad-
emica quædam
Pontificum Sy-
nodus.

sepe alia causa pertinentes ad cōmunem salutem
acta sint, nunc nostrā causam agā: Deplorabo no-
stras miseras, et omnes gubernatores Reipub. de
suo officio admonebo, quod nobis, quod Ecclesie,
in hoc negocio debēt. Christus narrat fuisse diuitē
quendā, fortassis etiā dignitate præstantē, qui non
tātum sine metu egestatis, sine sollicitudine suauiter
uixerit, sed etiā splendorem amauerit in omni
apparatu, comitatu, edificijs, quo homines opulē-
ti dignitatē augere putāt. In hoc diuitias, trāquil-
litatem, ac uoluptates, ut fit, secutus est fastus, &
neglectio rerum diuinarum, ac pauperum. Quare
cū ante ades eius quisspiā pauper, cui Lazaro
nomē fuit, iaceret, egrotus, squalens ulceribus, de-
stitutus omniū hominum ope, peteretq; paucillum
cibi, diues sua fortuna ebrius, & oblitus cœlestis
mandati, et cōmunis naturæ, quæ nos ad certa offi-
cia obligat præstanda calamitosis, miserum illum
negligit. Cumq; quotidie ad uestibulum iacentem,
in magnis cruciatibus uideret, præterijt, tamē fer-
reo animo, non ali, non sanari curat, fortassis etiā
arbitratur alienum esse grauitatē uiri tanti, allo-
qui miserū, aut eius causa angē, Interea stipē por-
rigunt aliqui de populo homines pij, & ulcera
canes medicantur, lingua detergant, ac mitigant.
Sed post mortem Lazarus donatur cœlestibus do-

Historia de di-
uite & Lazaro

E iij nis:

Lazarus sui
temporis Iere-
mias.

Historiæ appli-
catio.

nis: Diues ille superbus & crudelis abiicitur in
cruciatu aeternos. Hanc historiam recitat Chri-
stus, ut exemplum uniuersæ ecclesiæ omnium tem-
porum proponat. Lazarus erat Ieremias sua æta-
te, quem Principes ac Pontifices non modò super-
bè contemnebant, sed etiam acerbè oderant. Lau-
zari erant Apostoli, quos toto orbe terrarum om-
nes potentes, tanquam καθόγματα execraban-
tur. Querendum igitur & hoc tempore qui refe-
rant Lazarū, qui imitetur diuitē. Si uerè hoc et
simpliciter dicendum est: Nos inopes Scholastici,
deinde omnes Sacerdotes, qui uulgo inuisi ac spre-
ti, cum alijs ærumnis conficiuntur, tum uerò cum
uxoribus & paruis liberis fame contabescunt,
Lazari sunt. Horum cœtum animis atq; oculis
proponite: Nos, inquā, inopes Scholasticos, & il-
los miseros Sacerdotes cum suis familijs, quis est
tā ferreo pectore, qui sine lachrymis hunc cœtum
aspicere, aut cogitare animo potest, cū quidem
nulli in uita munus administrēt præstātius, ac cœ-
lestius? nulla militia deo gratior, ac ecclesiæ magis
necessaria est. E cōtra imitatores illius opulenti,
qui sunt præcipuè Pōtifices, Episcopi, Canonici,
Monachi, et horū satellites Tyrāni. Hoc agmēto
tū animis intuemini, et cogitate ab Ecclesia ingē-
tes ac regias opes Episcopis et collegijs eorum cō-
mendatas

mendatas esse, quibus alendi erant pastores pii, ac scholastici, quæ ad piæ doctrinæ et earum artium, quæ ecclesiæ sunt ornamento, cōseruationem cōseruanda erāt. His illi ignaui uentres, Sardanapali, parricidæ suauissimè in ocio et trāquillitate fruuntur. Ac nō modò nos defraudāt illo munere, quod nobis ecclesia attribuit, sed etiā Tyrannico fastu nos contēnunt, et summa odij acerbitate aduersus nos inflāmati sunt, trucidare ac delere nos conantur. An nō superāt etiā illū diuitē, qui tamen Lazaro lucis usurā nō eripiebat, qui locū ad uestibulum concedat. Deinde diues suo patrimonio fruebatur: Episcopi, Canonici, et Monachi, aliena interuertūt, eaq; turpissimè per luxum et libidines dissipant, ac profundunt, nō secus ac spōsi Penelope Vlyssis facultates dilacerabāt. Nec ego nunc de singulorum moribus dicā. Sunt inter Canonicos aliqui modestis ingenijs præditi, sed genus uitæ reprehendo. Prodigiosum est in ecclesiâ esse sodalitia regijs opibus donata ad hoc, ut ibi homines otiosi saginentur. Hæc sodalitia etiāsi ueterē disciplinā reuocarent, tamen ecclesia tolerare nō debet: Nō enim de moribus præcipua est querela. Illud queritur Lazarus, totū illud uitæ genus cōtaminatum esse idolatria, ac propter hanc negligi pios scholasticos, ac pastores ecclesiarū, debitasq;

Pontificatus
prodigiosus.

B V illis

Ingenia mode-
sta obscœnita-
tem fugiant.

illis mercedēs in istis sumptuosis sodalitijs deuo-
rari, deleri studia doctrinæ Christianæ, ac aliarū li-
terarum. Nō cōpono satyrā, nō cōmemorabo eo-
rum flagitia, quæ uerecundè nominari non pos-
sunt: Nam modesta ingenia nō tātum in moribus,
sed etiā in sermone obscœnitātē fugere decet. Ni-
hil dicā de cœnis Tyberianis quorundam, qui nu-
das puellas saltare ad epulas iubent. Multa pro-
digiosa prætereo. Ac ne fieri quidem potest, quin
ocium, opulentia, inscitia, cōtemptus religionis,
pariant omnis generis uitia. Maxima pars tan-
tum gulæ & obscœnis uoluptatibus dedita est:
alij magis strenui, et occupati negocijs politicis,
aut œconomicis, alunt equos, certant sumptu &
splendore cum satrapis: quidam etiā nō abhorrēt
à literis, nō ut ecclesiæ seruiant, sed ut aditum ha-
beant ad dignitatem in aulis inter proceres: non
nulli cruditionem cōferunt ad perniciem ecclesiæ.
Certè isti generi hominum ac ordini, nō est cura
ministerium Euangelij, nec pastores quarunt ido-
neos, nec discētes adiuuāt, nec ad hunc usum deci-
di & abradi aliquid de suis facultatibus patiun-
tur: deniq; cōspirarunt ad delendā doctrinā Chri-
stianam, accendunt regum crudelitātē, ac postea se
nominant Ecclesiæ gubernatores: imò constat o-
mnes sic adfectos esse, potius ut malint nomen
Christia-

Christianum funditus deleri, quàm aliquid de tyrannide remittere. Et literas omnes oderunt hanc unã ob causam, quod suspicatur literatis tyranni de difflicere. Quam multa sunt autem in Prophetis conciones acerrimæ, quæ proprie tale uitæ genus vituperant. Meministis Esaiã, qui inquit: Ve uobis qui mane ad conuiuia surgitis, nec opus diuinum respicitis. Et Ezechiel: Ecce hæc fuit iniquitas Sodome sororis tuæ, superbia, saturitas panis, ociũ, et manum egenti nõ porrigebãt. Nullum autẽ hodie genus hominum duriorẽ fortuna cõstitatur, quã pastores ecclesiarũ et scholastici amãtes doctrinæ Christianæ. Similis concio est apud Zachariã: Ecce pastor erit, qui deseret gregẽ, et carnes pinguiũ comedet. O pastor et Idolum. Sed hæc Propheticas et cœlestes cõminationes securissimè deridèt illi Sibaritæ. Verũ est enim quod Cato dicebat: Venter caret auribus. Nec tamen interea prorsus extingui cœlestem doctrinã Christus patitur, sed habet ipse quoq; suũ cœtum pauperum, qui Euangeliũ et discunt, et propagare studèt. Aduersus hos etiamsi omne genus crudelitatis exercent diuites illi, qui tenent ecclesiæ opes, tamẽ eis nõ deest hospitium, et uel canes, id est, de populo aliqui, eos cõplectuntur, adiuuãt, lenire arũnas cupiunt. Habèt et custodes Angelos, qui uiuentibus

Misera conditio
pastorum
Ecclesiarum.

Canes Ecclesiæ

Angeli.

¶ mo=

et morientibus adsunt. Hæc affirmant oracula cœlestia, et cōprobant ipsi euentus: Seruat enim Deus suā ecclesiam, fremmentibus illis hypocritis, qui sanguinem piorum exorbere cupiunt. Sed nō tantum institui querelam: n̄ esertim cum hæc uulnera ecclesiæ nemo non deploret: Remedia quærenda sunt, quæ utinā salubria & δὲ νόσῳ δὲ νόσῳ monstra-
 re possent. Sed uerè inquit Demosthenes: Reprehēdere quilibet potest, dare cōsiliū pauci possunt. Cū autem hæc scholastica consuetudo, ut initio dixi, cōcedat nobis, ut de ecclesia, tanquā in Synodo, sentētiās dicamus, monstrabo, ut uocat Demosthenes, τὴν εὐσεβῆν καὶ δὲ μάταιον ψῆφον: Nec si in Synodo in suffragium eundum erit, aliā sententiam dicam. Bona ingenia adhortor, ut deserant illa impia socialitia polluta idolatria, sicut præcipit Deus: Fugite idolatriam. Deinde hoc addo, Reges et Principes debere hæc officia Deo, ut impios cultus tollāt, ad pios usus, ad alēdos pastores ac scholasticos, trāsferant facultates ecclesiarū. Hæc sententiā nō ipse nunc fingo, diuinitus tradita est in sacris literis, et multa habet luculēta principum et Synodorū testimonia, quæ uentant res donatas ecclesiæ, ab ociosis et ignauis deuorari, qui non sunt usui ecclesiæ. Extat lex Theodosij in Codice, quæ disertè prohibet, ne fruantur redditibus hi, qui

Demosthe-
 m. 5.

Lex Theodosij
 de bonis Eccle-
 siasticis. 2.

hi, qui cum titulos functionū Ecclesiasticarū habeant, officiū non faciunt. Tulerat legē Theodosius, ut facultates Ecclesiasticæ, quas Donatistæ tenebāt, transferretur ad pias ecclesias. Nouum exemplū odiose calūniabantur Donatistæ, uociferabantur alienum esse à pietate, facultates aliorū appetere, propter certamina de doctrina nemini facultates eripiēdas esse. Sed Augustinus Theodosij decretū rectē defendit, affirmat illas possessiones donatas fuisse ecclesijs pijs, et ad piæ doctrinæ conseruationē. Has cū impij ac hostes ueræ doctrinæ tenerent, fuit Imperatoris officiū, dominis restituere, hoc est, ueræ ecclesiæ. Nec magis licet Idolatricis collegijs huius ætatis, res donatas ad ministerij Euangelici conseruationē tenere, quàm regē Babylónico licuit in conuiuū proferre sacra uasatēpli Hierosolymorū. Quid horū in quæstionē uocari potest? Si Episcopi tuentur impios cultus, si uerā doctrinā opprimūt, ut palām faciūt, falso titulū usurpant ecclesiæ. Ac Regū officiū est, facultates Ecclesiasticas trāsferre ad cœlestis doctrinæ præcones, ad eos qui gloriam Dei uerè ornare student. Utinā Principes intelligerēt hanc rē ad officium suū pertinere, quorū præcipuū est munus, religionē ornare, defendere ecclesiā. Hæc sunt uerè heroica, propter quæ Deus impertit societati nomen suū

Donatistæ.

Augustinus
Theodosij decretum conseruat.

Principum munus.

nis sui bonis principibus, ut ait, ego dixi *Dij estis*: hoc est, res diuinas custodiētes, euangeliū, pios cultus defendentes, gloriā Dei aduersus Diabolū, qui spargit impias opiniones, qui incēdit tyrannos ad exercēdam seuitiā. Nō tantū corporibus nostris seruit Magistratus, sed multò magis gloriæ Dei. Quod si essent alicubi, qui palā Epicureas opiniones profiterētur, an nō Magistratū oportuit summa seueritate in tales animaduertere? Nō est contēnendum præceptū, q̄ inquit: *Blasphemus mortē moriatur*. Et rursus: *Nō usurpabis nomē Dei uanē*. Harū legum custos cum sit Magistratus, haud dubiē abolere impios cultus debet, restituere pios, et ministris Euāgelij stipēdia dare, quæ ipsis in ecclesia cōstituta sunt, nec putent se leuiter peccare principes, si id officium negligant: Nā apud Esaiam uocātur nutritores ecclesiæ. Et Aggeus ac Malachias seuerē obiurgāt populum non soluentē pensiones debitas templo ac sacerdotibus: et minantur sterilitatē ac famem, nisi liberalius soluāt. Cū igitur iniustē teneāt hæc stipēdia Episcopi, Canonici et Monachi, cū pastores pios, et horū coniuges et liberos fame perire sinant, cum defraudent scholasticos, cum studia deleant, Deus postulat, ut principes ueræ ecclesiæ et studiorū curam suscipiant, et illas pestes ecclesiæ remoueant ab administratione

Minæ Prophe-
tarum,

stratione. Prospicere debēt principes, et ut in præsentia alātur boni pastores, et ut posteritas habeat eruditos uiros, idoneos ad ecclesias regendas. Hiſtorie ueteres cōmemorant, mirificum fuisse luxū Sibaritarū, qui quidē ita creuerat, ut præmia etiā turpitudini, et in aētoribus nouarum uoluptatū constituta essent. Sed tantā disciplinæ corruptiōnē Deus nō diu tolerauit: itaq; exitium ciuitatis uaria prodigia denunciārūt, in his spectrum fuit: Iuno ueniēs in forū clara luce, et uomens magnā copiā bilis et sanguinis, quo prodigo significatū est fore, ut breui ciuitas euomeret suas delitias, et sanguinē bonorum, quos tyranni iniuste trucidauerāt. Paulō post Sibaridis deleta est. Ita euoment tandem episcopi, qui nunc Sibaritarum more uiuunt, rapinas et sanguinē piorum sacerdotū. Monachus quidā in concione publica, audiente Imperatore Carolo dixit, Deum nō futurum propiciū, nisi totum cubitum lauet in sanguine Lutherano. Perhorresco referens hanc uocem auditu crudelē. Quæ enim fuit unquā adeō fera barbaries, in qua tanta immanitas, tanta sitis extitit civilis sanguinis, quāta est in istis hypocritis & nulla de causa, nisi quod nō applaudimus omnibus eorum opinionibus, quarū multas ipsi fatētur esse impias, et erroris plenas, et defendūt eas tamē quadā pertinaciā, quod

Sibaritarum
luxus.

Iunonis spe-
ctrum.

Vrbis interitus

Crudelis uox
Monachi.

quod existimant labefactari auctoritatem, si quid mutent: Talia qui dicunt, utram Ecclesiae gubernatores, an furia et Erynnēs rectius dici debent? Sed Deo dabunt poenas, qui solet insignibus exemplis manifestum religionis contemptum punire. Interea vos commilitones adhortor, ut Lazari exemplo, forti animo praesentes arumnas feratis, aderit nobis Deus, nosque alet, ut scriptum est: *lata cura tuam in Deum, et ipse te enutriet.* Nec deterreri uos a rectis studiis, a pia sententia finite, uel inopia, uel aliarum arumnarum metu. Quidam languidioribus animis praediti, deficiunt a Christo, et adiungunt se hostibus Euangelij, nec uident quam miserum, quam turpe sit, assentari Tyrannis. Hesiodi uersiculus extat, qui praecipuum grauissimum continet, quod saepe inculcant et Prophetae:

Non conueniendum ad conuicia aduersus doctrinam,

μη δε κακῶν ἑταροῦ μηδ' ἐοδλῶν νεκεσῆγοι.
 Ne fias socius improborum, nec conuiciator honestorum. Hic uersiculus admoneat uos, ne ad societatem eorum uos adiungatis, qui cum ueritate belligerantur, ac ne adplaudatis conuiciis, quae dicuntur aduersus piam doctrinam. Haec petulantia habet tristes exitus. Deum autem rogemus, ut honesta et pia studia gubernet ac tueatur.

Historia